

## DE ARCHITECTONICIS STRUCTURIS ASTRONOMICIS Observationibus accomodis.

**I**nstrumentorum Astronomicorum in hunc quidem modum consignationes expositae (prout superius visum est) Mechanicam Artis partem, quae omnium prima esset debet, & sine qua caetera incassum tentantur satis superque tractant, & omnimodis usibus non saltem jucunda, sed & utili penitus necessaria varietate ac copia sufficiunt. At si Organa haec exercitio suo, atque ei cui destinantur, officio, apte, & absque incommodo applicari debent, requiritur non solum locus idoneus, sed & aedificia oportuna, in quibus hanc pragmatam, citra difficultatem aut turbationes ullas administrare liceat. **LOCUS** vero sit imprimis editus, unde liberum circumquaque spectare Horizontem detur, nullis obstantibus aut sylvis aut montibus, alisque aedificiis. Conducit etiam, eundem esse solitarium, & a vulgi strepitu remotum, quo orio liceat frui Philosophico, ita tamen, ut necessaria in promptu sint, & accessus subinde pateat Eruditis ac intelligentibus, arceatur vero promiscuum vulgus, talia nec capiens, nec in pretio, uti merentur habens. Et licet loca, quae in Meridionali terrarum plaga existunt, ob Sphaerae rectiorem situm, & serenitates forte crebriores, praeferenda videantur ijs, quae ad Polos vergunt, quaeque magis sunt septentrionalia in hoc nimirum Arctoo situ, tamen cum non cuiusvis opportunum sit, Patriam aut locum in quo degit ea de causa mutare, nec etiam ea, quae expetitur, conditio atque commoditas in Australioribus Terrae partibus quibusvis, praesertim in ignotis & peregrinis forte concedatur, oportebit utique ea contentum esse, & loci & temporis occasione, quae offertur & praesto est, & difficultates atque incommoda, si quae incidant, constante diligentia superare, ne idem eveniat, quod de tempore vere Seneca ait: Parum habemus, sed multum perdimus. In Aegypto quidem, atque alijs Africae & Asiae locis, ubi veteres vixerunt Astronomi, ob Coelum, uti ajunt, magis sudum, & Sphaeram minus inclinatum, haec praestitius factitare daretur: At cum Bellona per Turcarum Imperium, omnes pene isthic liberales artes expulerit, & Astronomiam ibi exulare, aut minus in pretio haberi (nisi quatenus ab Arabibus forte adhuc quodammodo exercetur) verosimile est. De alijs Europae partibus, quae in Austrum vergunt meliora utique speranda forent, quatenus Turcae aut Moscho non parent: liquidem artes ingenuas isthic non averfentur. At cum ea etiam regna alijs ut plurimum occupentur, & Astronomica minus (quod quidem scitur) curent, dispendium potius quam compendium facturus videtur, qui eas partes, utut Australiores ijs quae non nihil in Boream vergunt praetulerit. Imo cum observationes hyberno tempore quando noctes longiores sunt, commodius & plenius perficiantur, habet Arctoa ora id praerogativa, quod non tantum hoc praestet, sed & insuper intento suo gelu, spirantibus praesertim Borealibus ventis aërem ita depuret & extenuet, ut pluribus saepenumero continuis diebus defaecatissimus sit, adeo ut stellae noctu quam maxime fulgeant, atque scintillent, cum tamen in Australioribus Regionibus tunc creberrime aut Pluat, aut coelum alias nubibus obductum, udum sit, & coelestium considerationi minus pateat. Exoptavit quidem laudatissimae memoriae Princeps Gulielmus Hassiae, & Landgravius, rebus Astronomicis impense addictus, ijsque non leviter tinctus ut in magis Australi tetra loco habitationem meam obtinerem, quo plenius Coelestibus invigilarem, veluti ex literis quibusdam ejus ad me in Epistolarum Astronomicarum Tomo primo Pag. 21, impressis liquet, idque optima intentione eum fecisse non est dubium, & forte etiam, quo me isthuc alliceret. At qui ego existimo, in Dania non pauciores quam vel in Hassia, aut quavis alia Germaniae parte, (uti de caeteris Europae regnis nunc non dicam) obtineri posse siderum observationes, nisi quod nonnullae stellae in Australioribus plagis orientantur, quae in Borea perpetuo latent, Quod tamen non magni est momenti, nec ad Astronomiae redintegrationem admodum conducit. Testari id poterunt libri unus & viginti manuscripti, qui penes me sunt, totidem Annorum accuratissimas observationes in Dania peractas complectentes, quod & quales vix alibi utut, in magis meridionali Regione, a quoquam interea (absit invidia dicto) obtentas esse arbitror. In quibus non solum omnium Planetarum singulis Annis, & ne quidem Mercurio rarius ob minorē a Sole digressionem apparente, loca & vicissitudines crebro & multifariam explorata habentur; sed & inerrantium Stellarum, quod quod visui utcumque patent, positus subtilissime denotati sunt: Et postea in Canonica descriptionem inde relati, qualem haecenus nulli etiam ex ijs qui Aegyptum & Australia, magisque (uti putatur) serena terrarum loca olim inhabitaverunt, praebuisse deprehenditur, uti neque nullis eorum successores, ubicumque tandem terrarum degentes. Quod me non ex arogantia ulla aut contemptu veterem, sed rei veritate sic ad stipulante profiteri, brevi volente Numine, palam faciam.

Atque haec de eligendo loco (in quo tamen suo abundare sentu quemlibet permitto) sit admonuisse satis.

plura ipsa occasio facit suggeret: Et si omnia pro voto haberi nequeant, acceptanda nihilominus, qualiscumque offertur, commoditas; ut aliquid potius quam nihil sagatur,

**AEDIFICIA** porro talia sunt extruenda, ut observationibus commode inserviant, & Instrumenta quæq; pro sua magnitudine & forma firmiter & rite convenienterq; disposita habeant, atq; ab injuria aëris, ventorum & imbrium facta recta conservent, & simul supra ipsa Instrumenta ejuscemodi tegumentis constructa sint, ut ea, cum res postulat, levi negotio aperiri, rursumq; claudiqueant, Structurarum vero materiã omnino lapideam esse oportet, sive e coctis lateribus, sive alio fossili lapide, atq; ubi opus est, columnis etiam marmoreis aut alias faxeis, Instrumenta firmitudinis causa fulciri, omniaq; in fudo firmo figi, ne ullo modo vacilent, aut quid instabilitatis successive contrahant, Tegumenta autem ex leviori aliqua compagine confecta sint, quo facilis aperiantur & denuo componantur Adesse etiam oportet habitationes & vaporaria pro ijs qui talibus invigilant observatoribus, Et tam hæc quam alia requisita adeo concinne ordinata esse debent, ut nullæ molestiæ, nullæ difficultates aut importunitates opus ipsum retardent, aut tædiosũ efficiant.

Poterit autem quilibet, cui sumptus suppetunt, pro suo arbitrio aliam atq; aliam invenire atq; construere ædificiorum huc spectantium formam, pro loci oportunitate, atq; Organorum conformatione & copia, Ea igitur in re nemini quidpiam & peculiariter præscribendum censeo. Si tamen hanc quam nos elegimus atq; in his architectonicis confecimus rationem, nõ parvo labore & sumptu in ea Insula freti Danici navigijs celebri Venusia (vulgo Huena dicta) exantlatam & annis ab hinc viginti duobus inchoatum scire desiderat, en & illam dabimus, quo & una consistere possit, qui bus in locis quibusq; structurarum formis Instrumenta illa, quorum antea figuratiõnem & declarationem exhibuimus disposita fuerint, Hauriet deinde hinc quilibet quod volet atq; in suos usus accommodet, Spero enim aliquos suo tempore futuros, quos tam alta tangat cura, quiq; hæc imitari, aut etiam superare magnis conatibus elaborent,

